

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5011

**Auteur(s) :** Honorius II [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Audin de Bayeux, Évreux (évêque)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1127, 25 janvier

**Lieu d'émission :** Latran

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

À la demande de l'évêque Audin d'Évreux, le pape Honorius [II] prend l'église Notre-Dame d'Évreux sous sa protection et l'ensemble de ses biens, qu'il confirme par la même lettre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 6, p. 60-61.

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2e éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 7240, t. 1, p. 828.

Texte établi d'après a

Honorius episcopus seruus seruorum Dei. Uenerabili fratri Aldoeo Ebroicensi episcopo eiusque successoribus canonice promouendis in perpetuum. Equitatis et iusticie ratio persuadet nos ecclesiis perpetuam rerum suarum firmitatem et uigoris inconcussi munimenta conferre. Non enim Christi conuenit seruos diuino famulatui deditos peruersis prauorum hominum molestiis agitari et temerariis quorumlibet uexationibus fatigari, similiter et preda usibus celestium secretorum dedicata nullas potentium angarias nisi debent extra ordinarium sustinere. Quocirca, karissime frater Aldoeo Ebroicensis episcope, dignas petitiones tuas paterne benignitatis mansuetudine clementius admittentes Ebroicensem beate Marie ecclesiam, cui auctore Deo preesse cognosceris, cum omnibus ad ipsam pertinentibus in beati Petri tutelam nostramque protectionem suscipimus. Uniuersas igitur possessiones et bona omnia, que eadem ecclesia in presentiarum legitime possidet, tibi tuisque successoribus presentis decreti pagina confirmamus. In quibus hec propriis nominibus duximus exprimenda : uidelicet annuam decimam de Uernone decem librarum Rothomagensium, ecclesias de Nonancort cum decimis tocius uille et unum mansum. Quecumque preterea futuris temporibus predicta Ebroicensis ecclesia donatione regum, liberalitate principum uel oblatione fidelium seu aliis modis iuste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli hominum licet eamdem ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere uel temerariis uexationibus fatigare, set omnia conseruentur integra eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo

tertioe commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniuitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen.

Dat. Lateran. per manum Aimerici sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis et cancellarii VIII kal. febr., inductione IIIIa, anno dominice incarnationis M°.C.XXVI°, pontificatus autem domini Honorii secundi pape anno II.